



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Esu mortifero, homo sibi ipse mortis causa fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Num. 11. 34.

Gen. 2. v. 9.
& 17.

IV.

Sapi. 1. 13.

Rom. 5. 12.

2. Cor. c. 5. 4.

Hisor. Si.
p. 4. c. 17.

firmavit. Et pars illa deserti *Pharan*, dicta est, *sepulchra concupiscentia*, quia ibidem interfecti sepulchrique sunt, qui carnes intemperanter concupiuerunt. Alij, quia arborem illam, *scientia boni & mali*, sic, ante lapsum hominis, bis appellauit *DEVS*, censent, eam sic dictam ab eo, quod futurum prauiderat, qui prauidet omnia, nisi, ut saepe quoque alibi, id, per anticipationem à Moysè relatum; aut arbor à deceptione nomen accepit, qua serpens vsus dixit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*. Quæ ipsa deceptio satis magna miseria fuit. Siquidem non solum Adamus eo esu vitam suauem, quam in cælo, beati agitant, non est contectus; verum etiam, statim, re ipsa, post prauaricationem, ærumnosam illam experimentalem boni & mali scientiam acquisiuit, quam habent, quicumque, bono amisso, in mala inciderunt. Itaque inde calamitosi esse cœperunt homines, vnde, *sicut Dij*, esse voluerunt. Hic, ex vetito fructu, fructus natus est. Ex vno malo, omne nobis malum germinauit. Digni sunt exilio, qui patriam cōtempserunt. Meritò in agrum, & ad stiuam mittitur, qui in horto Dominum non colit.

Igitur, si mala putatur mors, malum id DEO non est impetandum. *Quoniam Deus mortem non fecit. Impij autem manibus & verbis accersuerunt illam. Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*; ita homini, non hominis Conditori, causa mortis est ascribenda. Potuisset Adamus & posterius eius, in terra, diu felix viuere, & eo modo, quo exoptat Apostolus dicens: *Nolumus expoliari, sed superuolari*, de terrestri ad cælestem Paradisum, sine vllò interitu, aut corporis expoliatione, transire: sed, relicto vitæ ligno, de mortifera arbore comedit. Habet ergo, quod voluit; quia magis ei sapuit culina diaboli, quàm epulum DEI. Itaque arborem vitæ amisit, quando ad illud lignum curiosas manus extendit, quod serpens venenauit. Aiunt, non procul à Malaca arborem nasci, cuius radices cum multæ sint, in varias dispersæ partes, diuersos effectus sortiuntur. Quæ enim ad orientem spectant, antidotum præbent aduersus venenum quodlibet, febrésque pellunt; aliásque ægitudines: at quæ vergunt ad occasum, ipsissimum venenum propinant. Tales arbores